
C. Kortholt.
(P. Nicolai.)

Studiosus theologiae

Kil., 1668.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-3 4° 00005 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-3 4° 5




Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-3 4° 00005 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-3 4° 5

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-3 4° 00005 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-3 4° 5



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-3 4° 00005 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-3 4° 5



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-3 4° 00005 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-3 4° 5



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-3 4° 00005 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-3 4° 5

1,-3.

DET KONGELIGE BIBLIOTEK
DA 1.-2.S 1 4º
1 1 01 0 4 00005 6

+ REX

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-3 4° 00005 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-3 4° 5

871

I. N. I. A.

STUDIOSUS THEOLOGIÆ,

Quem
annuente divinâ gratiâ,
in Illuſtri Academiâ Kilonienſi,
PRÆSIDE
Viro Plurimùm Reverendo & Ampliſſimo,
CHRISTIANO KORTHOLT,
S. Theol. Doct. & Prof. P.
Præceptore ſuo æternùm venerando,
in Auditorio Majori,
ad diem 18. Aprilis, Anno 1668.
publicè Eruditis conſiderandum ſiſtit
PAULUS NICOLAI, Huſo-Cimb.
Autor.

Typis Joachimi Reumanni, *Acad. Typogr.*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-3 4° 00005 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-3 4° 5

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-3 4° 00005 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-3 4° 5

Præloquium.

Quatuor in univerſum Principales dantur Diſciplinæ: Theologia, Jurisprudentia, Medicina, & Philoſophia. Theologia harum omnium Princeps & Regina optimè meritò audit, & reliquarum famulatu gaudet & utitur. Hornejus Diſp. Theolog. 1. §. 11. Gerh. in Methodo Stud. Theolog. p. 8. Siquidem eſt Habitus, qui illud abſolutè Summum Bonum proponit, & media, quibus obtineri poteſt, ſubminiſtrat. Puta, verſatur circa ea, quæ nos ad æternam ſalutem perducere poſſunt. Proinde non malè ſibi conſulunt, qui ſtudio Theologico animum ſuum addicunt. Apoſtolus hoc quodammodo indicat, Theologicum Studium ſuo commendans Timotheo: εἴ τις ἐπισκοπῆς ὀρέγεται, καλοῦ ἔργου ἐπιθυμεῖ. 1. Tim. 3, 1. Epiſcopatum, i. e. Miniſterium Eccleſiæ ambire dignus non eſt, niſi qui Theologiæ Habitum ſibi jam acquiſivit. Maximè igitur neceſſarium eſt, ut iſte, qui ἐπισκοπῆς ὀρέγεται, ſacris Theologiæ Studiis operam prius adhibeat. Nobis eſt animus hac vice, pro ingenii tenuitate, paucis futurum Epiſcopum, Eccleſiæq; Doctorem, *Studioſum Theologiæ*, delineare;

DEUS annue cœptis!

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-3 4° 00005 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-3 4° 5

Cap. I.
De
Theologiæ Studioſo.

§. 1.

VOcabulum *Theologia*, uti ſonat, in Sacris literis nullibi legitur; occurrit tamen ejus concretum, *Theologus*, quod nomen S. Johanni in inſcriptione Apocalypſeos tribuitur, quippe qui Salvatoris Deitatem omnium luculentisſimè expoſuit, eamq; adverſus Hæreticorum furores aſſeruit. Paſor. Lex. in voce λέγω. Vocabulum hocce derivatur ἀπὸ τοῦ θεολογεῖν, quod compoſitum eſt ex vocibus λόγος & θεὸς, ut, quoad vim vocis, denotet Orationem tantummodo de Deo. Calixt. Appar. Theol. p. 1. Non indicat ſermonem Dei de ſeipſo, ut putat Franciſc. Jun. Theol. c. 1. quod eſt contra naturam ejuſmodi vocabulorum. Aſtrologia ſignificat ſermonem de aſtris, non Aſtrorum de ſe ipſis, nec Phyſiologia ſermonem Naturæ de ſe ipſa. vid. Gerh. Proœm. in Exeg. §. 2. In hac ſignificatione Theologia eſt Habitus de Deo, rebuſve divinis diſſerendi, ut docet Magnificus Dn. Petrus Muſæus, Præceptor meus æternûm devenerandus, Diſpp. Theol. c. 1. §. 1.

§. 2. Diſpeſcitur Theologia in Naturalem & Revelatam. *Naturalis* eſt, quæ ex lumine rationis è rebus creatis ſenſibusq; noſtris ſubjectis ad cognitionem Dei tendit, de quâ Apoſtolus Rom. 1, 15. *Revelata*, quæ ſupernaturali Dei Revelatione nobis manifeſtata eſt. Illam miſſam facimus, & ad Philoſophiam remittimus. Siquidem nobis non erit ſermo de Studioſo Theologiæ Naturalis, quam in noſtro Studioſo jam præſupponimus, ut deinceps dicetur; ſed de Studioſo Theologiæ Revelatæ.

§. 3. Theo-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-3 4° 00005 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-3 4° 5

§. 3. Theologia Revelata iterum dupliciter conſiderari poteſt 1. minus proprie, ut eſt ſimplex aliqua Articulorum fidei cognitio, in quantum ad ſalutem eſt neceſſaria, & in quolibet Chriſtiano requiritur. 2. propriè, ut eſt cognitio Articulorum fidei ejuſmodi, per quam ex ſuis illi principiis deducuntur, aliis explicantur, probantur, & contra adverſarios defenduntur. Calixt. Appar. Theol. p. 5. Prout poſteriori modo conſideratur, noſtro inſervit propoſito. Hoc modo *Theologia eſt Habitus Practicus acquiſitus, qui ea, quæ creditu & factu ſunt neceſſaria, ex ſuis principiis deducit, explicat, confirmat, contra adverſarios defendit, æternæ beatitudinis gratia.* Calixt. in Proleg. Epit. Hornej diſpp. Theol. 1. §. *49.* Magnif. D. Muſæus l. c. §. *23.*

§. 4. Studioſus dicitur â vocabulo Studii, quod nihil aliud eſt quàm vehemens animi applicatio ad aliquid agendum. Unde Studioſus dicitur, qui animum ſuum ad aliquid agendum cum quadam quaſi vehementiâ applicat. Strictiùs ſi ſumatur vox, & quidem ſine additamento poſita, juxta uſum hodie receptum, hominem indicat, qui bonis literis operam dat. Cum additamento ſignificat ſtudioſum illius Facultatis, quam adjectum denotat vocabulum. Ita per Studioſum Theologiæ denotatur, qui animum ſuum ſacris dicat laboribus, quò aſſiduâ attentione Habitum Theologiæ per ordinaria media ſibi acquirat.

§. 5. Pro diversâ autem Theologiæ acceptione Studioſus ipſius diverſimode quoq; poteſt deſcribi. Dantur, qui nudam Articulorum fidei, prout ad ſalutem ſcitu ſunt neceſſarii, cognitionem, quia adhuc in illa rudes ſunt, docentur. In primitivâ Eccleſiâ vocabantur Catechumeni, exinde quod vivâ voce erudiebantur. Illi non procedebant ulterius, quàm ut rudimenta fidei & morum,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-3 4° 00005 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-3 4° 5

occultatis adhuc ſummis fidei myſteriis docerentur. In fide autem & moribus ſufficienter eruditi, lavacro Baptiſmatis tingebantur, & numero fidelium adſcribebantur. *Auguſtin. de fide & moribus cap. 6.* Hos docere quilibet Chriſtianus provectior ac cordatus poterat, docente *Magnifico D. Muſæo l. c. §. 25.* Verùm, qui hoc modo edoctus eſt, non magis actu Theologus vocatur, quam ille Philoſophus, qui principia Philoſophiæ tantùm tenet. Alii ſunt provectiores Chriſtiani, qui jam Chriſtianæ doctrinæ fundamentis imbuti altioribus inhiant: Nudæ Articulorum fidei notitiæ non ampliùs inhærent; ſed & rationes eorum poſtulant: Sacræ Scripturæ requirunt notitiam, & ulteriorem ejus explicationem deſiderant. Illis rationes Myſteriorum exponuntur, textus Scripturæ explicantur: &, ne ab Adverſariis ſeducantur, errores eorum in publicâ concione ipſis deteguntur. Denique ſunt, qui neque in nudâ Articulorum fidei cognitione, neque in textus alicujus expoſiti auſcultatione acquieſcunt, ſed ulteriùs tendunt. Diſcunt, ut alios docere poſſint. Habitum Theologiæ acquirere ſibi proponunt, quò aliquando aliis Articulos fidei explicare, confirmare, & errores Hæreticorum refutare valeant. Hos ultimo loco dictos proprie vocamus *Theologiæ Studioſos*.

§. 6. Scripturæ Stylo *Theologiæ Studioſi* vocantur *Filii Prophetarum 2. Reg. 9. 1.* & alibi. Eos namque ceu Filios ſuos Prophetæ denuo gignunt & iis novam quaſi formam ſuperaddunt. Unde Studioſum Theologiæ decet, ut, ſicut genuinus Filius Patris ſui ingenium ac mores refert, ita & ille ad Præceptoris imaginem proximè accedat: Inſiſtat ſc. veſtigiis ejus, reverentiam ipſi exhibeat, & ſummo cum ſtudio ipſum imitetur. Paulus eam ob cauſam *Titum* ſuum

τὸ γνή-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-3 4° 00005 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-3 4° 5

τὸ γνήσιον τέκνον appellat *Tit.* 1. 4. & Timotheum τὸ ἀγαπητὸν τέκνον 2. *Timoth.* 1. 2. Rabbinis (uti refert Hottingerus) Studioſus Theologiæ dicitur תַּלְמִיד תּוֹרָה *Diſcipulus legis* ſive etiam בַּר תּוֹרָה *Filius legis*; ſiquidem ſtudio legis divinæ i. e. Sacræ Scripturæ eſt deditiſſimus. Vid. Hotting. Theſaur. Philolog. p. 76. 77.

Cap. II.

De

Adminiculis Studioſi Theologiæ.

§ 1.

POſt hæc ipſum Studium Theologicum, quod ſatis amplum & difficillimum eſt, eſſet evolvendnm, niſi priùs quædam *Adminicula*, quibus Tyro Theologici ſtudii inſtructus eſſe debet, expedienda forent. *Adminicula* iſta dicimus *Externa*. Theologia quippe non ſuppeditabit illa; ſed prorſus extra eam aliunde ſunt deſumenda. Duo præcipuè ſunt: *Philologia & Philoſophia*, ſive *Linguæ* & *Diſciplinæ*. Ex linguis præprimis hæ tres, Ebraica, Græca, & Latina, Theologiæ Cultori neceſſariæ videntur. De Latinâ quidem nullum puto eſſe dubium. Illius ignorantia impedit, quo minùs aliquis etiam unicam tantùm eruditionis partem poſſit addiſcere. Sicuti in reliquis Diſciplinis, ita & in hac noſtrâ Facultate omnia fere, quæ addiſcenda veniunt, latinis literis conſcripta habentur. Præter Syſtemata Theologica, ex quibus fundamenta fidei ſunt addiſcenda, tot habentur Scripturæ Verſiones *latinâ* Linguâ compoſitæ, ut vix numerari poſſint, teſte *Auguſtino de Doctrinâ Chriſtianâ lib.* 2. *c.* 11. Quæ, ſi Sudioſus eas dili-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-3 4° 00005 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-3 4° 5

genter perlegat, *plus intelligentiam adjuvant, quàm impediunt. Nam nonnullas obſcuriores ſententias plurium Codicum ſæpe manifeſtavit inſpectio*, uti docet Auguſtinus l. c. c. 12. Quicquid Occidentalis Eccleſiæ Scriptores unquam literis conſignarunt, & quæ hodie ab Eccleſiæ Doctoribus lucubrantur, latino ſermone leguntur. In hac linguâ, quæ ab omnibus eruditis intelligitur, veritas fidei optimè defenditur, & errores Adverſariorum refelluntur.

§ 2. Quantum futuro Theologo uſum *Ebraicæ linguæ* præbeat cognitio, ſufficienter explicari nequit. Sacra Scriptura eſt unicum illud Principium, ex quo omnia, quæ in Theologia traduntur, probanda, & quæ iisdem adverſantur, refutanda veniunt. Quomodo feliciter hæc peragere velis, ſi ipſum Scripturæ textum non intelligas? Altera ſcripturæ pars, Vetus Teſtamentum, quod quaſi Novi fundamentum eſt, in Ebraico legitur idiomate. Si ex eodem fundamentum fidei quæras, Ebraica intelligas oportet. In Verſionibus ejus, quæ ſunt variæ, ne quæras tibi refugium: Illæ enim cum plurimùm inter ſe diſcrepent; cui demum fides habenda ſit, ſi ignoras linguam Ebraicam, & hoc ignores neceſſum eſt. Vulgatam Verſionem pro authenticâ cum Pontificiis non agnoſcimus; ſed Sola Ebraica Lingua in V. T. textu nobis eſt authentica. *vid. Gerhard. de Methodo Stud. Theol.* Sect. 1. c. 1. Si fortè diſcurſus in Theologicis tibi ſit habendus cum quodam Adverſario, qui non niſi ex ipſo textu authentico reſponſionem petit, quid agendum tibi, qui Ebraicam linguam neglexiſti? Sicuti præterea nulla lingua ſuis deſtituitur Idiotismis; ita præprimis iisdem Ebraica gaudet, qui in nullâ ſane verſione ita propriè reddi poſſunt, ut natura eorum requirit. Quapropter *quò purior eſt aqua, quæ ex ipſis fonti-*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-3 4° 00005 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-3 4° 5

fontibus, quàm quæ ex rivulis & lacunis hauritur, eò puriora etiam quodammodo ſunt, quæ ex ipſis primis linguis, in quibus DEI *Oracula nobis tradita fuerunt, tanquam ex limpidiſſimis fontibus hauriuntur.* Vide hanc in rem prolixiora apud *B. Gerhard. l. c.*

§ 3. Nec minorem affert utilitatem Græcæ Linguæ cognitio. Præter Vet. Teſtamentum, & Novum intelligi à Theologiæ Studioſo debet, itidem propter rationes in præcedenti § adductas. Totum autem Novum Teſtamentum hodie uon niſi in Græcâ linguâ legitur: quicqnid ſit de Evangelio Matthæi & Epiſtolâ ad Hebræos, Hebræo idiomate, juxta nonnullos, à primis autoribus conſcriptis. de quibus Vide (neque enim hæc indisquiſitionem vocare noſtri nunc eſt inſtituti) Gerh. Exegeſ. loc. de ſac. Scriptura c. *9. § 243.* Calviſii Syſtema Theolog. cum de lingua N. T. agit, & alios. Variæ etiam dantur verſiones Vet. Teſtamenti græcè conſcriptæ, quas recenſet Gerh. in Methodo Stud. Theol. c. 4. Primas harum tenet verſio LXX. quam etiam Apoſtoli in citandis V. T. dictis in N. fere adhibent. Ut taceamus, multos dari Ecclefiæ Patres, qui in Græcâ viguêre Ecclefiâ, & Græcè ſcripſerunt; quorum lectio admodum utilis eſt Theologiæ Studioſo. Non igitur hæ duæ linguæ Ebraica ſc. & Græca à Theologiæ Studioſo diſjungi debent: ſed utraque conjunctim addiſcenda. Optimum de hiſce eſt judicium Auguſtini lib. 2. de Doctr. Chriſt. c. 11. *Homines*, qui in Theologia inſtruendi ſunt, præter Latinam *duabus aliis Ebrææ ſc. & Græcâ ad divinarum ſcripturarum cognitionem opus habere, ut ad exemplaria præcedentia recurratur, ſi quam dubitationem attulere Latinorum Interpretum infinita varietas.*

§ 4. Imò præter Linguas Latinam, Græcam, Hebraicam

cam

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-3 4° 00005 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-3 4° 5

cam inſuper Chaldaicæ, Syriacæ & Arabicæ notitiam Theologiæ Studioſo oppidò utilem eſſe, nullo modo negari poteſt. Et de Chaldaicâ quidem res tantò eſt certior, quantò notius, aliquot V. T. partes (puta in Daniele & Eſdrâ) hoc idiomate originaliter eſſe à primis ſuis Autoribus θεοπνεύςοις conceptas, & in literas relatas, eodemq; præterea exſtare celeberrimas illas Veteris Inſtrumenti Paraphraſes, ſive Targumim. Syriacæ linguæ utilitatem loquuntur itidem tum voces aliquot & dictiones ejus idiomatis ipſi textui Originali Novi Fœderis immixtæ, tum egregia illa magnæq; autoritatis verſio Syriaca N. T: ut de verſione librorum V. T. nihil dicam. Sed & ſermo Arabicus illo ſe nomine commendat, quod & Novi & Veteris Inſtrumenti verſio eodem exſtat conſcripta.

§. 5. Externis adminiculis, quibus Cultor Theologiæ indiget, diſciplinas etiam annumeramus Philoſophicas. Et *Logicam* quidem quod attinet, eam qui didicit, ſententiam ſuam probare & demonſtrare bene callet. Quam autem neceſſe illud in Theologiâ ſit, nemo non novit, qui modò ipſum ejus limen ſalutavit. Nempe ut Auditores certam Doctrinæ veritatem, quæ quod ita & non aliter ſe habeat, Concluſionis evincit neceſſitas, exinde capiant. Bene Auguſtinus: *Diſputationis*, inquit, *Diſciplina* (Logica) *ad omnia Genera Quæſtionum, quæ in literis ſanctis ſunt penetranda & diſſolvenda, plurimùm valet. lib. 2. de Doctr. Chriſt. c. 31.* Verùm non tantùm doctrinæ Chriſtianæ capita Theologo probanda, ſed & errores adverſariorum refutandi veniunt. Si ergo quis rem habeat cum adverſario, nec ipſius Sophiſmata retundere ſciat, nonne ſuæ cauſæ, quæ tamen bona eſt, non ſolùm obeſſet, verùm etiam ludibrio ſe & riſui exponeret? Unde iterum appoſitè Auguſtinus

l. c.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-3 4° 00005 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-3 4° 5

l. c. c. 34. *Quidam plerumque retinentes verum ſententiam, malè ſe contemnunt* (contemtui ſe exponunt, ut explicat Calixtus in Appar. Theol. p. 16.) *quia leges Concluſionis ignorant.*

§. 6. Sicut aliàs *Rhetorica* cum linguis arctè cohæret, ita præprimis Theologo linguas addiſcenti utilis eſt. Sacra quidem Scriptura, licet magnas res tractet, pompam tamen verborum evitat, & ſimplicitati proprietatiq; vocum ſtudet; ſed omnibus Tropis & Schematibus omnino non caret. *Troporum, non ſolùm exempla, ſed quorundam etiam nomina in divinis libris leguntur, ſicut Allegoria, Ænigma, Parabola. Auguſtin. l. c. lib. 3. c. 29.* Quo patet, quòd, qui hæc intelligere velit, Rhetoricam, ex quâ eorum explicatio petenda eſt, addiſcere debeat. Exemplo nobis ſit illud Pauli: ἅτινά ἐστιν ἀλληγορούμενα, Gal. 4, 24. Quis illud intelligat, niſi qui ex Rhetoricis didicerit, quid ſit *Allegoria*? Liceat hîc iterum Auguſtini verba mea facere: *Troporum cognitio propterea Scripturarum ambiguitatibus diſſolvendis eſt neceſſaria, quia quum ſenſus, ad proprietatem verborum ſi accipiatur, abſurdus eſt; quærendum eſt utiq;, ne fortè illo vel illo Tropo dictum ſit, quod non intelligimus; & ſic pleraq; inventa ſunt, quæ latebant. Auguſtin. l. c.* Deinde Theologorum quoque ut plurimum eſt, Conciones ad populum habere, eumq; in fide & moribus ita informare Hoc ſi utiliter peragere velit, neceſſe eſt, ut teneat præcepta Rhetorices, quæ ipſum docent, quomodo affectus, ubi opus eſt, moveri, Tropi & Schemata adduci debeant. Rhetorica præſcribit, quomodo textus aliquis ad Didaſcaliam, Elenchum, Pædiam, Epanorthoſin aut Parakleſin, accommodari debeat.

§. 7. Progredimur ad illam omnium diſciplinarum

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-3 4° 00005 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-3 4° 5

rum Reginam, *Metaphyſicam*, ſive *primam Philoſophiam*. Hæc *quò generalior eſt doctrina, & terminos univerſaliores exponit, eò hujus major uſus & neceſſitas*. Calixt. in Appar. Theol. p. 22. Multi & innumeri fere ſunt Termini, à quibus Theologus in explicatione ſacrorum prorſus abſtinere nequit, videl. Potentia, Cauſa, Effectus, Poſitivum, Privativum, Subſtantia, Contingens, Neceſſarium, Infinitum &c. Iſtiusmodi Terminos non pro ſuo lubitu Theologus intelligere & explicare debet, ſed juxta ſignificatum eruditis uſitatum, & huc usque receptum. Neque explicatio eorum ex Theologiâ, quà tali, peti poteſt, ſed tantummodo Metaphyſica eam ſuppeditat. Multa hìc congerere exempla non puto operæ pretium eſſe, videri poteſt in his prolixior Calixt. l c. pag. 23. 24. 25. Præterea ex parte hujus ſcientiæ ſpeciali, (quam alii Pneumaticam vocare amant, & diſtinctam ab eâ Diſciplinam faciunt,) cognitio DEI Naturalis petenda eſt, quæ, quantum utilitatis futuro Theologo afferat, docent *Chemnitius in Loco de DEO, & Gerhardus in Exegeſi*. Maximum præprimis præſtat uſum, ſi aliquando congrediendum ſit cum Pagano, Epicuréo, vel alio quodam extra Eccleſiæ conſortium conſtituto.

§. 8. *Phyſica*, illa Naturæ ſcientia, per totam fere vagatur Scripturam, nec vel unicam ſaltem paginam in ipſo ſcripturæ primordio perfectè intelligere queas, niſi rerum intelligas Naturam. Conſideres quæſo ipſa Creationis effecta, Corpora ſimplicia & Mixta; Subſtantias Rationales, Sentientes, Vegetativas, Hominem, Bruta, Plantas, eorum omnium natura te latet, ſi Phyſicam ignores. Absque Phyſicæ cognitione ſimilitudinum ſignificationes, quas hinc inde in ſacris literis à rebus naturalibus deſumit Spiritus S., manent incognitæ. Audias hìc iterum

Augu-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-3 4° 00005 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-3 4° 5

Auguſtinum l. c. lib. 2. c. 26. de Phyſicæ utilitate hunc in modū diſſerentem: *Rerum ignorantia facit obſcuras figuratas locutiones, cum ignoramus vel animantium, vel lapidum, vel herbarum naturas, aliarumq́; rerum, quæ plerumque in ſcripturis ſimilitudinis alicujus gratiâ ponuntur.* Contra Hæreticos humanam Chriſti naturam negantes nemo feliciter pugnabit, niſi naturam hominis ex Phyſicis cognitam & perſpectam habeat. Quomodo præterea miraculorum præſtantiam & Dei Omnipotentiam ille ſatis admiretur, qui neſcit, quantum naturales Rerum vires valeant, & quid per potentiam earum efficì queat? *Vid. ſæpius laudat. Calixt. l. c. pag. 19. 20. 21.*

§. 9. *Matheſi* quoque haud parum Theologia debet; ſiquidem plurima in Sacro Codice occurrunt loca, quæ absque hac commodè intelligi nequeunt. Plurimæ quidem ſunt ejus Diſciplinæ, ſed quantum plerarumque, ſive ſint mixtæ, ſive purè tales, cognitio Theologo conducat, uſus & experientia teſtatur. *Arithmetica*, quæ eſt Scientia Numerorum, tibi oſtendit, quomodo computationes, quæ frequenter in ſacræ ſcripturæ lectione occurrunt, ſint adornandæ. *Geometria* propter varias in ſcripturis obvias quantitatum deſcriptiones Theologiæ cultori haud eſt negligenda. *Aſtronomia* cæli ſiderumq́;, quorum hinc inde in ſcripturis fit mentio, naturam explanabit. Huic addiſcendæ *Sphærica* haud parum affert commodi. Temporum dierumq́; diſtinctionem petas ex *Chronologiâ*; Locorum & Regionum deſcriptiones ex *Geographiâ* ſunt deſumendæ. De Ventis agit *Anemologica*. Ob Arcæ Noæ, Templi Salomonis, aliorumq́; Structuram *Architectonica* cognitu non eſt inutilis. Et ne prolixior ſim, de reliquis non minùs utiliſſimis Scientiis Vid. *Calixt. l. c. pag. 18.*

Con-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-3 4° 00005 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-3 4° 5

Confer & Nobiliſſimi D. Reiheri Præceptoris mei nunquam non honorandi Diſputationem de uſu Matheſeos in Theologiâ.

§. 10. Progredimur ad Practicas Philoſophiæ Diſciplinas, quarum prior eſt *Ethica.* Iſta explicat Naturalem legē cordibus noſtris divinitus inſcriptam, de quâ Paulus loquitur Rom. 2. 15. Ethica ex naturæ principiis nos docet, quod virtutes peragendæ, vitia ſint fugienda, ſi S. Bonum conſequi deſideremus. Quæ quidem de Bono Politico aſſequendo intellecta vult Ethica, nihilo tamen minus ad altiorem referri poſſunt finem, illud ſc. abſolute S. Bonum conſequendum. Spiritus S. ſæpius in ſacrâ lege inſtigat homines ad exercitium virtutum, â vitiis dehortatur; hæcce ſi Theologo explicanda veniant, neceſſe eſt, ut ſciat, quid ſit Virtus, quid ſit Vitium. Imò ſæpiſſime hujus vel illius virtutis in ſpecie mentionem facit ſacer Flatus, ſic Temperantiam commendat 1. Theſſ. 5, 6. Manſuetudinem Epheſ. 4. 2. aliasq; alibi, horum autem Habituum diſcriptiones ex Ethicâ, non ex Theologiâ depromuntur. Habes hic uſum Ethices in Theologiâ.

§. 11. Poſterior Philoſophiæ Practicæ pars eſt *Politica.* Ex hac diſcat Theologiæ Studioſus, quæ ipſi de Magiſtratibus, de Imperantibus & parentibus, de bello & pace ſcitu ſunt neceſſaria. Politicam qui didicit, faciliùs explicaturus eſt, qui nam fuerit ſtatus Reipublicæ Iſraëlitarum. Quis denique rectiùs judicabit de formâ hodiernæ ſpiritualis Reipub. ſive Eccleſiſtici ſtatus, quàm ille, qui quid ſit Reſpub. & quomodo ejus ſpecies varient, ex Politicâ didicerit?

§. 12. Nec ab hiſce huc usque recenſitis Studii Theologici Adminiculis removemus *Hiſtoriam*, quam vocant

Pro-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-3 4° 00005 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-3 4° 5

Profanam. Perluſtra tantùm Vetus Inſtrumentum, & conſtabit tibi, quantum lucis afferat intelligendis Hiſtoriis in eo deſignatis rerum apud profanos geſtarum cognitio. Crebra Imperatorum & Præſidum Romanorum fit mentio in N. Fœdere, notitiam eorum ex civili habebis Hiſtoriâ. Nihil hîc dicam de antiquis moribus & ritibus Ebræorum, Græcorum, & Romanorum, aliisq; innumeris, quæ Theologus ignorare nequit, & quorum notitia ex hiſtoriâ petitur. Vide hæc ſatis prolixè demonſtrata apud Calixtum l. c. pag. 30. 31. ſeqq.

§. 13. Hæc iſta ſunt Adminicula, quæ in Studioſo Theologiæ requirimus. Vocamus illa *Externa*, tum quod extra Eccleſiam addiſci poſſunt, tum quòd nihil ad Theologiæ eſſentiam faciunt. Siquidem Philoſophus, quà talis, non eſt Theologus, nec qui linguarum cognitionem habet, per hoc Theologiæ peritus eſt; licet alio iſtis deſtituto feliciores in eâ faciat profectus. Diximus autem; hæc Adminicula ad addiſcendam Thelogiam neceſſaria eſſe; quod quidem intellectum volumus non neceſſitate abſolutâ, quaſi Theologiæ Studioſus prorſus iisdem deſtitui nequeat, ſed necesſitate hypotheticâ, quòd nimirum faciunt ad bene eſſe (ut loquuntur Philoſophi) Theologumq; in ſuâ facultate magis perficiunt. Vid. Hornej. Diſput. 1. §. *62*.

§. 14. Præterea â Theologiæ Studioſo haud poſtulatur, ut inſingulis ſive Diſciplinis ſive Linguis excellat, ſed ut eatenus eas ſibi cognitas faciat, quatenus ſuo propoſito aliquod compendium afferre opinatur. Quemadmodum enim Apoſtolus dicit, Chriſtum dediſſe τὺς μὲν Αποςόλυς, τὺς δὲ προφήτας, τὺς δὲ Ευαγγελίςας, τὺς δὲ ποιμένας, καὶ Διδασκάλυς Ephes. 4. 11. Et alibi Spiritum S. dare ᾧ μὲν

 λογον

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-3 4° 00005 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-3 4° 5

λόγον σοφίας, ἄλλῳ λόγον γνώσεως, ἄλλῳ διακρίσεις πνευμάτων, ἑτέρῳ γένη γλωσσῶν. ἄλλῳ δὲ ἑρμενεῖαν γλωσσῶν. 1. Cor. 2. 8. & 10. ita alius uberiori fructu explicat ſacrum textum, alius accuratiùs proponit Articulos fidei & morum, alius iterum cũ Adverſariis feliciùs pugnat. Illi magis neceſſarium eſt, ut habeat peritiam linguarum, iſti ut exquiſitã Rhetorices cognitionem, mediocrem Logices, exactam autẽ morũ ſcientiam teneat; huic ut non ſolùm Dialecticæ ſed & univerſæ Philophiæ perfectam habeat notitiam.

Cap. III.

De

Ipſo Studio Theologico.

§. 1.

Reſtat ut de ipſo Theologiæ Studio pauca adjungamus. Eſt autem hocce Studium vel Primarium vel Secundarium. Primariũ, quod prorſus â Theologiæ cultore negligi nequit, & ſub ſe comprehendit Theologiam Exegeticam, Didacticam, Polemicam, & Practicam: Secundarium, cui non æquè ut primario omnes Theologiæ Studioſi operam dare neceſse habent. Atque eò ſpectant Studium Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, & lectio Patrum. Vid. Pædia Theolog. D. Calovii p. 185. ſeqq. In Primario iſto Studio primum tenet locum *Studium Theologiæ Exegeticæ*, quod conſiſtit in aſſiduâ ſcripturæ lectione, ejusq; interpretum evolutione. Eſt nimirum ſacer iſte Codex genuinum & adæquatum fundamentum, cui tota noſtra Theologia quaſi eſt ſuperinſtructa: Regula eſt & norma, ad quam, tanquam ad Lydium lapidem, omnia noſtra dogmata veniunt examinanda. Eſt inſtar armamentarii, ex quo de-

pro-

promuntur arma, quibus veræ doctrinæ hoſtes ſunt profligandi. Unde conſtat, Theologiæ Studioſo Sacras literas diligenter eſſe evolvendas. Curſoria aliqua lectio non ſufficit; attentio in legendo eſt adhibenda. Felicior ille progreditur, qui ipſos fontes, exotericarum linguarum notitiâ inſtructus, ſcrutari conatur. Commentariorum etiam lectio omnino non eſt negligenda. Nemo enim inficias ibit, in Sacro volumine contineri δυσνόητά τινα testante ipſo *Petro 2. epiſt. 3.* 16. Hæc clariora & intellectu faciliora ex eruditorum virorum commentariis reddi poſſunt. Præprimis autem antiquiores ſunt eligendi, quorum Autores ſtatim poſt Apoſtolorum tempora in Eccleſiâ vixere. Dubium ſiquidem non eſt, quin illi, uti ipſas Sacras literas, ita ſimul genuinum earum ſenſum ex Apoſtolorum manu quaſi exceperint. Propter tamen ea recentiores non ſunt deſpiciendi, in quibus ſæpius multa optimè explicata habentur, quæ apud antiquiores non reperiuntur. De lectione Sacræ ſcripturæ, quomodo inſtituenda ſit, conſule *Gerhard. in Methodo. Stud. Theol. part. 3. ſect. 1. c. 2. 3. Olear. in Meth. Stud. Theol. c. 3 ſect. 3. memb. 3. Calovii Pæd. ſect. 2. Artic. 2. cap. 1. & 2.*

§. 2. Porro neceſſarium quoque eſt *Studium Theologiæ Poſitivæ*, proponentis & ſuo modo ex Scripturâ confirmantis Articulos fidei & Doctrinæ Chriſtianæ. Iſtud enim qui negligit, Theologica admodum infeliciter tractabit. Quod ſi namque ſinguli Chriſtiani, qui veri optant audire Chriſtiani, Articulos fidei tenere debent, (Petrus enim poſtulat, ut ſemper parati ſimus πρὸς ἀπολογίαν παντὶ τῷ αἰτοῦντι λόγον περὶ τῆς ἐν αὐτοῖς ἐλπίδος 1. Pet. 3. 15.) ſi, inquam, hæc â ſimplici etiam Chriſtiano exiguntur, quantò magis ab his, qui aliquando Chriſtianos informare propo-

fitum

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-3 4° 00005 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-3 4° 5

ſitum habent. Hanc in rem *Studioſo* ante omnia incumbit, ut fidei capita diſcat, antequam ad ſublimiora progreſſus facit. Cui Studio maximè inſerviunt Compendia, in quibus Theologiæ capita ſuccinctè & breviter proponuntur. Nec minus præſtat commodum evolutio librorum Symbolicorum, qui in noſtrâ Eccleſiâ obtinent. Hinc progrediendum eſt ad pleniora Locorum Theologicorum Syſtemata, qualia ſunt Loci Theologici Chemnitii, Hutteri, Gerhardi aliorumq;. Ubi nec negligenda ſunt ea, quæ in ſpecie vel de hoc vel de illo fidei capite ab eruditis Theologis ſunt conſignata. Duo autem præprimis hoc in Studio ſunt attendenda: Prius eſt, ut *Theologiæ Studioſus* ad ipſam rem, quæ explicatur, attendat; poſterius, ut Terminorum, quibus res explicatur, intellectum teneat. Res ipſa ſunt, quæ creditu & factu neceſſaria, & in Doctrinæ Chriſtianæ Capitibus proponuntur. Termini ſunt vel purè Theologici, vel aliunde adſciti. Illorum explicatio ex ſola Theologia, horum ex illa Diſciplina, ex qua deſumti ſunt, eſt petenda, ita tamen, ut ab omni imperfectione liberentur, & quo pacto ad res & myſteria fidei applicandi ſint, ex ipſa Theologia addiſcatur. De Methodo, quæ hic obſervanda venit, videri poſſunt Autores præced. §. citati.

§. 3. Sequitur *Studium Theologiæ Polemicæ.* Præter hoc enim, quod Theologus fidei Articulos explicare ſciat, neceſſe etiam habet, ut eosdem contra Adverſarios defendere & illorum errores refutare poſſit. Sic Apoſtolus ab Epiſcopo exigit, ut ſit δυνατὸς τȣ̀ς ἀντιλέγοντας ἐλέγχειν *Tit.* 1. 9. *& ſeductores* ἐπιστομίζειν *v.* 11. Tradit vero hæc *Theologia Polemica*, ut quæ docet, de quanam re inter Orthodoxos & Heterodoxos controvertatur, & quibuscum de fide diſceptetur.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-3 4° 00005 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-3 4° 5

ſceptetur. Quem in finem *Theologiæ cultor* Adverſariorum ſcripta attentis perluſtret oculis, quò, quid ſtatuant, quid non ſtatuant, & quibus rationibus ſuam ſtabiliant theſin, ipſi pateſcat. Progrediendum hinc ad Hiſtoriam Eccleſiaſticam, & introſpiciendum, num etiam in primitivâ Eccleſiâ hac de re ſerra contentionis reciprocata ſit, & quomodo Hæreticorum falſum dogma rejectum. (Vides hic quodammodo utilitatem Studii Theologici Secundarii, de quo in ſeqq.) Sed & Scripta Orthodoxorum Eccleſiæ Doctorum, quæ Adverſariis oppoſita ſunt, evolvenda veniunt, & ex illis capiendum, quomodo Adverſariorum objectionibus & exceptionibus feliciter occurri poſſit. Illi, cum quibus controvertitur, ſunt vel Infideles, vel Hæretici: Infideles ſunt, qui Chriſtum Redemtorem non agnoſcuut, optimeq; ad tres revocari poſſunt claſſes; ſunt ſcil. Ethnici, Judæi, Turcæ. Gentiles ſacras literas ignorant & repudiant. Ergo ex Theologiâ Naturali cum ipſis diſſerendum eſt, usque dum ad veram Dei agnitionem perducantur. (Hic iterum vide, quantum uſum habeat notitia Philoſophiæ.) Judæi quoad V. Teſtamentum Sacrum codicem recipiunt, ſed Novi autoritatem prorſus rejiciunt. Qui proinde, ut Chriſtum pro vero habeant Meſſiâ, ex V. T. convinci debent. Turcis detegenda eſt Vanitas ſui Muhammedis, & dogmata ipſorum blaſphema, impia & abſurda eſſe, ex ipsâ eorundum naturâ iis oſtendendum. Hæretici ſunt, qui fidei fundamentum ſubruunt, & vel unum vel alterum Articulum cæteris admiſſis negant. Hiſce ex Sacris literis error, quo tenentur, eſt demonſtrandus. Nullum non uſum *Polemico* huic *Studio* præbet Diſputationum frequentatio, quam idcirco negligendam minimè eſſe perſuaſum habemus.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-3 4° 00005 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-3 4° 5

Frequens enim Diſputatio ingenium *Studioſi* exercet, judicium acuit, memoriam juvat, ſcrupulos animo inhærentes eximit. Expeditior hinc redditur, ſi quando ſerium certamen ſit ineundum, ut veritatem conſtantiùs defendat, & contradicentium os cordatiùs obturet.

§. 4. In recenſendo *primario Theologiæ Studio*, *Studium* denique *Moralis Theologiæ* ſubjungimus. *Moralis* illa dicitur; quia *mores* i. e. *morales* virtutes vitiaq́; perſequitur. Quò haud incommodè refertur ea, quæ circa praxin Conſolatoriam verſatur. Siquidem conſolationes incitant ac impellunt Chriſtianos ad virtutem. *Vid. Pæd. Theol. Calov. pag. 308. 309.* Hocce quoque Studium â Theologiæ Studioſo ſusq́; deq́; haud habendum eſſe pro nobis probantem θεόπνευστον adducimus teſtem, ipſum ſc. Apoſtolum. Verba ejus ſunt ſequentia: δεῖ τὸν Ἐπίσκοπον ἀντεχόμενον εἶναι τοῦ κατὰ τὴν διδαχὴν πιστοῦ λόγου, ἵνα δυνατὸς ᾖ παρακαλεῖν ἐν διδασκαλίᾳ τῇ ὑγιαινούσῃ, καὶ τοὺς ἀντιλέγοντας ἐλέγχειν Tit. 1 9. Decet nimirum Epiſcopum ſalvificam veritatis doctrinam dextrè applicare; ut ignorantes erudiat, errantes corrigat, afflictos & debiles erigat, & conſoletur. Practicum hunc uſum tribuit alibi idem ille Paulus verbo divinitus revelato; quod ſc. ſit utile πρὸς διδασκαλίαν, πρὸς ἔλεγχον, πρὸς ἐπανόρθωσιν, πρὸς παιδείαν τὴν ἐν δικαιοσύνῃ, ἵνα ἄρτιος ᾖ ὁ θεοῦ ἄνθρωπος, πρὸς πᾶν ἔργον ἀγαθὸν ἐξηρτισμένος. 2. Tim. 3. 16. 17. Ad iſtud Studium feliciùs perſequendum requiritur, ut Studioſus diligenter practicos Theologorum libros evolvat, & ex iis percipiat, quomodo cæleſtis doctrina ad praxin ſit dirigenda. Concionibus optimorum virorum ſi frequenter interſit, &, quæ obſervatu digna ſunt, in ſuccum & ſanguinem convertat, fortaſſe hujus Studii maximum faciet compendium; quemad-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-3 4° 00005 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-3 4° 5

madmodum &, ſi interdum aliquam ad populum habeat concionem. Poſt hæc nec intermitat, quantum per ætem fieri poteſt, aliqua de Conſcientiæ caſibus delibare. De quo Studio, ne prolixiorſim, conſule *Pæd. Theol. Calov. pag. 328. ſeqq. Olear. Method. Stud. Theol. p. 144. ſeqq.*

§. 5. Pauca Appendicis quaſi loco ſubjungenda ſunt de *Secundario Theologiæ Studio.* Abſolvitur (ut dictum) Studium iſtud diligenti Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ perluſtratione, & Eccleſiæ Patrum lectione. Diſtinguitur autem Hiſtoria Eccleſiaſtica ab eâ, quæ in Sacris Bibliis recenſetur. Hæc ſiquidem â Scriptoribus θεοπνεύςοις; illa vero ab Eccleſiaſticis eſt conſcripta. Studium hoc maximè ſe commendat propter Hiſtoriam certaminum, quæ in Eccleſiâ quondam mota fuere. Quandoquidem ex Hiſtoriâ diſcitur, quinam Hæreſiarchæ, & primi controverſiarum fuerint Autores. Hiſtoria recenſet, quonam tempore Hæreſium ſemina primùm ſparſa fuerint, & quibusnam innixa fundamentis. Præterea, quinam Eccleſiæ Doctores hæreſes impugnaverint, & ſubortos errores ſuppreſſerint. Quænam porro Concilia, ſeu ſacra Comitia, propter controverſas cauſas in Eccleſiâ ſint coacta. Hæc, inquam, omnia Eccleſiaſtica pandit Hiſtoria. Quàm autem utilis ſit harum rerum notitia, maximè illi, cui cum hoſte confligendum eſt, facilè patet. Nam ſi fortaſſis Adverſarius ad Vet. Eccleſiæ teſtimonium in ſuâ causâ provocet, (quod Pontificiis hodie eſt ſolenne) victas manus facilè dabit, quem latet Hiſtoria. Nec minùs utile eſt, ſi habeat Theologus notitiam rituum, qui in primitivâ Eccleſiâ obſervati fuere. Hos iterum enucleat Hiſtoria. Ex iſtâ patebit quosnam ritus circa Sacramenta, circa Pænitentes, circa Miniſtrorum Eccleſiæ ordinationem, circa

dies

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-3 4° 00005 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-3 4° 5

dies feſtos, unptias, preces publicas, jejunia, exſequias veneranda adhibuerit Antiquitas. Horum notitiâ inſtructus feliciùs iterum cum Adverſario, quando de Eccleſiaſticis controvertit ritibus, aciem ingreditur. Patrum lectionem quod attinet, operam Theologus non perdiderit, ſi eorum ſcripta aſſiduè evolverit. Quippe ex iſtis non ſolùm ea, quæ ad hiſtoriam, ſed & quæ ad ipſa fidei dogmata, Scripturæ interpretationem, & pietatis praxin ſpectant, haurire potis erit. Sacris tamẽ literis minimè eorum ſcripta æquanda, nec ut infallibilia recipienda; cùm & Patrum multi errorum labe adſperſi fuerint. De ordine in hoc Secundario Theologiæ Studio obſervando conſule Autores ſupra citatos.

§. 6. Poſſent hîc plurima addi de iis, quæ ornatui ſunt Theologo; ſed quia nec illa, quæ aliàs explicatu neceſſaria erant, prolixè proponere erat animus, conſultò & iſta præterimus. Quæ à nobis, pro re natâ, hactenus dicta ſunt, benevolus Lector, pro ſuâ humanitate, ac æquitate benignè ſuſcipiat. Si quæ minùs rectè dicta, corrigat, & Autori, qui adhuc in ipſo hujus Studii limine conſiſtit, ignoſcat. Propoſita hæc ſaltem ſunt, ut eſſet materia, quæ in Diſquiſitionem vocaretur.

DEO ſit Laus & Gloria.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-3 4° 00005 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-3 4° 5

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-3 4° 00005 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-3 4° 5